

Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

E.K.

271889

A

MA 9 - SD 25 - 122002 - 54

Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

271889

A

MA 9 - SD 25 - 122002 - 54

ORATIO AD REVERENDISSIMVM IN

Christo patrem, ac Illustrissimum Principem &
dñm, Dominum MATHEVM sacrosanctæ
Romanæ ecclesiæ tituli sancti Angeli Car-
dinalis Gurcensem, Coadiutorem &
Successorem Salisburgensem, ac sa-
cratissimæ Cæsareæ maiesta-
tis locumtenentem &c. In cōgratu-
latione aduentus, nomine florentissime
Vniuersitatis Viennæ Pannoniæ, p Seba-
bastianum Winderl inibi collegiatum Collegii
Principis, In frequenti & magna Procerum ac li-
teratorum hominum præsentia tumultuariæ habita-

Ludouicus Restio.;

Edocet is princeps cælum uirtute parari

Et fasces, celeris culmina summa deæ

Et uirtus rursus docuit, quo tollere possit

Si uelit in quenquam robora ferre sua

Hoc meus altiloquo Bunderlius ædidit ore

Tu lege qui tendis scandere quodq; decus

Vale & me ducam...

REVERENDO & excellentissimo viro, dño Georgio
Summer de Cubito, Præposito in Volckenmarckt, ac sa-
cratissimæ cesaræ maiestatis & reuerendissimi dñi Cardi-
nalis Gurcensis &c. secretario, Sebastian⁹ Winderl S.D.

SAtisfecimus desiderio tuo humanissime Georgi, & oratio-
nē quā in aduētū illustrissimi principis habuim⁹, in mille
exemplaria trāssulam ad te mittimus. In q̄ plane id me se-
cutū agnosces qđ quondā ægyptiis peculiare ī ceremoniis
fuisse ferūt, qđ cū autumarēt nullū carmē deo satis dignum
inueniri posse, mutū quēdā & sine mēte sonū emittebant,
quo significabāt, se qđē nihil posse sed plurimū uelle. Ita
& ipse egi qui cū nequa q̄ eam eruditionē habeā, sicuti neq;
qđquā alius, ut reuerendissimi Cardinalis laudes p̄ rerū di-
gnitate p̄sequi possim (cū sint innūere & adeo illustres ut
illarū fulgor oīm oculos p̄stringat) hac tñ muta, inculta &
ieiuna orōne manifestū esse desideravi, me, & toto qđē aīo
si modo ualuisse, principis uirtutes (q̄s antea fama, at nūc
corā & cognoui, & admiratus sum) ornare uoluisse, qđ tñ
adeo frigide adeoq; oscitāter a me factū uideo, ut nullo pa-
cto edere eā nobis in aīo fuerit, & eo qđē min⁹, qđ me cū cō-
stitueri dū maior ætas, maiorq; rerū cognitio aderit, id, qđ
iā ex sentētia nrā minus celsit, alia & copiosiore uia attēta-
re. sed cū, tuo hortamīe tuoq; ductu diuulgare tandē ausi
simus, eandē interea ueluti futuroꝝ nrōꝝ laboꝝ indicē &
p̄gustamentū quoddā, tuæ reuerēde dnationi offerim⁹ &
dedicam⁹, ea spe, ut cū suapte nihil laude dignū habeat, ali-
q̄tulū tñ fauoris, tū illustrissimi p̄ncipis, apđ quē te tuæ ui-
tæ integritas & merita gratiosū fecere, tū alioꝝ hoim qđ tui
nois sūt studiosi et amātes, tāq̄ tue rei tuoq; mūeri accedet
Vale & me quēadmodū cepisti ama.



In non satis, & ut ipse flagrantissimo pectore uelim, & mihi ab hoc literario ordine demandatum est, si non satis inq̄, desideratissimo tuo iucundissimoq; aduetui cōgratulabor MATHEE princeps illustrissime. Id nequaquā istoz aīs, sed rei magnitudini & ipari ad susceptam puinciam ingenio meo tribuendū erit Vix etenī de tua ad nos accessione fama uenerat, tā ingēs subito, tamq; insueta lætitia uniuersum gymnasium incelsit, ut ego nequaquam induci possim, quenquā uel ex summis oratoribus inuentum iri, cui ea uis ingenii sit, tam melita facundia, tantū dicēdi flumen, q; sua oratione q̄tumuis & copiosa et ornata hoc nostrum incredibile gaudium uel ex minima parte recensere queat. Neq; enim credo, fuisse unquam alicuius mortalis præsentiam, apud suos, q̄ tua nobis sit, acceptiorē. Scimus equidem, quo plausu Romani Marcum Catonem quom ex Cypro regia aduecta pecunia rediisset, exceperint. Nouimus item, quo, multos alios, sed fuit illorum gaudium nostro ex nulla parte conferendū. Vidisses tu Reuerendissime antistes, si tibi p̄ hos dies cētum lumina, ueluti quondam Argo fuissent, me nihil ficti, nihil quod assentationem præferat, iam afferre quom nullus locus, secessus uullus, nulla hominum conuentio fuit, ubi non cum maxima alacritate de tuo aduentu, de tuis summis & præstantissimis laudibus disertatum fuisset, ut nulli obscurū relinqueret, quanto gaudio te expectauerimus, quāto excipiamus, quātoq; præsens te numen n̄m colamus & ueneremur. Ad eam in te obseruantiam, fidem, pietatemq; tua splendidissima animi fortunæ corporisq; bona nos impellūt, quæ adeo conspicua, adeoq; amabilia ī te existūt, ut ueluti quidā Magnes oīm

amorē ad te trahere uidearis, ita uero cumulatim in te sita,
ut sine cōtrouersia reliquorū mortaliū conditionem p̄inde
superaueris, ueluti inter stellas fulget luna minores. Volo
ego in tuis laudibus recēsendis, trāsire simul cum ornatissi
ma familia, famigeratissimam patriā Augustam & uetu
state & cæterarū rerum cultu laudatissimam. Sed quæ te
unico nato terq; quaterq; beata iure putari debet. Præteri
bo quoq; cum aliis multis bonis, corporis proceritatē, &
quandā diuinam in tuo uultu maiestātē, q; neq; ad hæc re
ferenda tempus consentaneū habeam, neq; in te cōmen
dando, oratori in iisdem immorandū putem, quom tu ea,
pro animi tui magnitudine tanq̄ caduca & transitoria nō
magni pendas, & nequaq̄ in eorū numero sis quibus dū
textat ex his fluxis muneribus & suorū maiorum præstan
tia splendor insit, sed habes tu excellentiora quædam & ti
bi propria & perpetua, quibus ad hoc dignitatis culmen
in quo tanquā quoddā sublime & lucentissimum sydus
resplendes, tete extulisti, gloriāq; quæ apud nullam poste
ritatem sit interitura, tu tuis uirtutibus, laborib; tuis, tuis
studiis, uita tua probatissima tibi cōparasti. Credo equidē
tibi ad huc puerulo intra penetralia pectoris Crispi Salu
stii sententiam illam infedisse, formæ & diuitiarū gloriam
fluxam esse, uirtutis uero æternam haberi, quæ tibi ueluti
quendā stimulū adhibuit, ut ad stabilia & optima quæq;
cōtenderes, neq; tuo conamine frustratus es, quom ita ex
uberanter qcquid uirtutis passim est, sis consecutus, ut iā
in orationis cursu subdubitem, a qua mihi sit auspicandū
& quæ cui potissimū sit præferenda. Laudanda q̄ppe in
te esset bonitas, mansuetudo, clementia, fides, constantia,
æquitas, religio, temperantia, modestia, affabilitas, comi

mitas, integritas, uitæ sanctimonia, admiranda in omnifa-
riis literis eruditio, & id genus innumere alia, sed quom
quæuis suam orationē desideret, ego pro tēporis oppor-
tunitate, eas dumtaxat & qdem paucis attingam, quæ in
principe illustriores habent. Quæ præcipua haud dubie
iusticia est, uirtus, ut Euripides aiebat, & ab aliis identidē
repetitū est, omniū præstantissima, ut neq; hesperus, neq;
lucifer tanto splendore refulgeat, rara qdem inter morta-
les, sed tãto in tua celsitudine micãtior apparet, & eo qdē
modo, ut si qs illius imaginē contueri uelit, in te ad unguē
expressã agnoscat. Consueuere namq; maiores nostri pru-
dentissimi, ut Chrisippus refert, illam pingere, forma atq;
filo uirginali, aspectu uehemēti & formidabili, luminibus
oculorū acribus, neq; humilis neq; atrocis, sed reuerende
cuiusdã tristitiæ dignitate, quo significarēt, iusticiæ antisti-
tes maxie esse debere graues, sanctos, seueros, incorruptos
inadulabiles, improbis & nocētibus inexorabiles, infontib⁹
uero pios tutores defensoresq; quæ tu qdem omnia in agē-
dis rebus, ita adamussim præstas, q; ne transuersum qdem
(ut aiūt) digitum discedas. In quo, si cæteri quoq; res pub-
licarū moderatores, te iusticiæ et amatorē & exemplar se-
querent, multo cōstantius æquabiliusq; res hūanæ sese ha-
berēt. Cum hac splendidissima et oīm uirtutū regina libe-
ralitatē coniūgis, præcipuū qdē in principibus decoramē-
tum, & quo unico ab aliis mortalibus imprimis differre ui-
dent, q; facultatē cæteros sua beneficētia demerendi habe-
ant. Ideoq; Syracusanū Dionisiū seniorē egre tulisse ferūt,
q; oblata a se munera Corinthiorū legati accipere recusa-
rint, perinde si sibi iam uia p̄clusa esset, eo bono uti, quo
pricipes reliqs feliciores habent. Cui et hoc laudi datū est

q̄ cum aliq̄do ad filiū accessisset, uidissetq̄ penes illū ma-
gnā auri & argenti copiam, proh fili inq̄t pater, in te certe
regius aut principe dign⁹ aius nequaq̄ apparet, quom ex
tanto rex thesauro nondum aliquē tibi amicū paraueris.
Sapiēter id q̄dē & grauiter dictū, nam quo pacto is prin-
cipē agit, cui aius adeo abiectus est, ut in sola diuitiarū cu-
mulatione, q̄bus tanq̄ seruis & pecorib⁹ utendū est, felici-
tatē sitā putet. Tota uia is errat, & a suo officio tm̄ abest,
q̄tum Hypanis Veneto disidet Eridano, quom satis ma-
gnatibus sit q̄ aliis præsint, q̄ imperēt, q̄ honorent, aurū
uero & argentū, ne Mide similes inueniāt, q̄ liberalissime
expendere debēt. Scitum est illud Aristonimi in historia,
quo illiberalis & auari uita pollincture id est cenæ mor-
tui cōparat, i q̄ quom cætera adsint laticia deest. Possim
ego memorare multos mortales alioqn̄ rebus gestis nō ig-
nobiles, sed q̄bus detestandū auariciæ uitiū ppetuas tene-
brās iniecit, contra uero non paucos q̄ sua liberalitate, iter
sibi ad ppetuā gloriā struxere, sed omitto illos q̄ mihi in
aīm & obiter q̄dē uenit Diuus MAXIMILIANVS, in
cuius noīe omnes p̄cipes, reges, cæsares, quotquot unq̄
fuere tacēdos puto, q̄ hos quocūq̄ laudū genere uelis in-
cōpabiliter superit, nisi quisq̄ ita desipiat ut uelit noctuæ
aquilam conferre, & more Vergiliani pastoris Titiri age-
re, q̄ canib⁹ catulos, q̄ matrib⁹ hedos, q̄ paruis cōponere
magna solebat. In mentē inq̄ uenit is mihi munificētissius
Cæsar q̄ uel sola illa uirtute, de cæteris iam taceo, q̄bus nō
min⁹ meruit, ppetuam & immortalē gloriā sibi iam dudū
parauit. Inde mihi persuadeo, ut quemadmodū in aliis ita
& in hac laudis præsātia liberalissimū impatorē amule-
ris. Habes tu q̄dem illustrissime princeps nō paucos tuæ

liberalitatis testes & buccinatores, quos honoribus, diuitiis
& dignitatibus honestasti, nullū etenī missū facis, in quo
uel probitatis uel uirtutis lumen aliquod appareat, quem
non tua munificētia tibi deuincires, ut ego oīno æstimem
de te illud prouerbium quē rectissime dici, hominē hominī
deum esse, quom tu passim hominibus benefaciendo (ut
soles) quē proxime ad diuinitatē accedis. Sed nūc ad Prudē
tiam (quā reliquarū ducē aiūt) ueniam⁹, quæ in te plus quā
aliquo mortaliū emicat, bene quidem, nā quom ea omīs ho/
mines deceat, principibus tñ peculiaris esse debet, quē duce
tu nihil insipienter, nihil temere, nihil improuide agis, sed
mira quadā præsentīū & futuroꝝ cōiectura, reꝝ euentū,
ueluti quoddā diuinū in terris oraculū p̄sentis, & omīa ita
prudētissime disponis, ut nihil quod ad hanc uirtutē attinet,
rephensibile in te inueniat. Ad hoc accedit tua admirāda
eruditio & eloquētia summa, quæ quādam affinitate cū pru
dētia iungunt, ea in quā eloquētia, quæ nimirū omēs uires in
te unico cōgessit, quæ etenī dii boni dicēdo te suauior: quis
facundior: quis grauior: quis unquē suadēdo copiosior: quā
tu in hac re p̄stes, audiuerunt Hispani, Britanni, Galli, Ger
mani, Itali, Dalmatæ, Illirii, Pannonii, Sarmatæ, audiuit
in quā totus orbis, cū ea quidem admiratione, ut quoties apud
illas nationes, tua facūdia (quæ ueluti ex quodā uberrimo
fonte scatet) intonares, manifeste deinde prædicaret se al
ter Nestorē audiisse, in quo Homerus historiarū & rerū
uarietate refertissim⁹, eloquentiā supra omnē humani in
genii aleā fuisse ait. O quoties tu disertissime princeps, tua
beatissima facundia, durissima hoīm pectora ueluti quod
dam Orpheus in tuā sententiā traxisti, quot discordias:
quot principum odia: quot similtates: quot p̄sentia: quot

Statim futura bella: quæ in grauē christiane rei iacturā redūdasent, diremissi. Tu, oraculo Apollinis id uerius esse declaras, quod a Cicerone quondā usurpatū est, cædāt arma togæ, cōcedat laurea linguæ, quom consultando, tum priuatis tum publicis in rebus, plus pro patria, pro libertate, pro Romani imperii incremento, p religione amplificanda pugnasti, q̄ alius quisquam mille præliis uulnerib⁹ mille p̄pessis. Neq̄ eni illi solū militāt ut ab impatoribus Leone & Antonio cōfirmatū est, q̄ gladiis, clipeis, thorcib⁹ nitunt⁹, sed hi quoq̄ & q̄dem dexteri⁹, q̄ gloriose uocis munimie cōfisi, laborantiū sp̄e, uitā & posteros quoq̄ d̄fendūt. At lōgū foret et īmensum op⁹ oīo excurreret, si omnia quæ ad hanc tuā laudē attinēt referre uelim. Neq̄ admittūt aliæ quoq̄ in te uirtutes ornatissime, quæ quasi quodā iure efflagitare uident⁹, ne in tuo nomie celebrādo eas prætereā, q̄ fortunæ tuæ & incremento tuo, a teneris (ut aiunt unguiculis) semp affuissent, & ante alias, aīo obuersat⁹, tua incredibilis humanitas & mansuetudo quā in omnes homies summates & infimates semper præstitisti. Iamq̄ eo amplius, quo maiore statu & excellētiore dignitate præditus fies, id quod tātō gloriosius in te esse dicimus, q̄ paucos uidere liceat, q̄ non simul cū fortuna mores quoq̄ cōmutent, aditus est ad te omnib⁹ facillimus, q̄d in p̄cipe laudatissimū est, summa in te & appellādo & respondendo benignitas, nec minor excipiēdo dimitrēdoq̄. Sed qd̄ plura: qui summā tuarū laudū, uirtutum, & præconiorū uelit (quom sit difficile omnia mēbratim persequi) inde colligat diiudicetq̄, q̄ nullus nec nostro, nec superiore ullo sæculo uixerit, qui utrūq̄ mundi principē, Pontificē Romanū & Cæsare Augustissimū, ita atq̄ tu, sola uitæ

rectitudine demeritus sit. Sciunt id omnes, neq; etiã in cõ/
meriis tenebris uersantẽ, quenq̃ latere potest, qua bñuolen/
tia, quo amore te Cæsar noster sacratissimus prosequat̃,
qui nihil unq̃ arduũ quicq̃ meditat̃, nihil cogitat, nihil at/
tentat, nisi te ueluti altero Achate adhibito. Atq; hoc fieri
nõ possit, ut Cæsar in omni uirtutũ genere instructissim⁹
te tãta charitate complecteret̃, nisi iam dudũ in te summã
innocentiã, integritatẽ summã, summã fidem et ingenium
(ut paucis multa comp̃hendã) sue maiestatis simillimum
p̃spexisset. Nihil etenim uerius est q̃ similitudinẽ morũ ami/
citiã & animorũ cõiunctionẽ efficere, qd̃ apud M. Tulliũ
Cato usurpãs Pares inqt̃ cũ parib⁹, ut est in ueteri puer/
bio, facillie cõgregãt̃. Qua re quoq; effectũ est ut in sum/
mũ amorem duorũ deinceps pontificũ Iulii & Leonis to/
tiusq; reuerẽdissimi cardinaliũ cõetus incideres, qui quom/
partim fama, partim uero ex frequẽti legatione, ad tractãda
christiane religionis negocia animũ tuũ absolutissimũ co/
gnouissẽt, nõ destitire prius, q̃ tu, nihil qdem tale cogitãs,
ad ipsorũ ordinem sacratissimũ adscribereris, ut qui uitæ
integritate apostolorũ disciplinã semp & constantissime
qdẽ secutus fores aliquãdo & illoꝝ dignitate, statu uiceq;
in terris fungereris, esseq; positus in hoc sũmo fastigio,
ueluti quoddã micantissimũ sidus et uirtutũ omniũ exem/
plar nitidissimũ, ad quod tum principes tũ cãteri quoq;
mortales uitã suã cõponerent instituerentq;. Quo loco
repetere (neq; n. id itempestiuũ aut nimis serũ arbitrarer)
q̃tum nũcio de tua cardinea dignitate accepto, & subinde
q; in metropolitanũ Salisburgẽsem sis designatus, & pu/
blice & priuatim tibi cõgratulati fuerimus, nisi in ea sentẽ
cia semp fuissem, non tã tibi, q; supra merita nihil prorsus

acceperis, q̄ Romanæ ecclesiæ, q̄ pontifici summo, q̄ reue
rēdissimis cardinalibus, congratulandū esse, q̄ in te asu
mēdo, manifestissimū fecerit, habuisse se dūtaxat, uirtutis
& eruditionis rationē, quom is ad hoc sacrū collegiū ac
cesseris, in quo omniū rege, quæ ad tam sublimē uitæ gra
dum attinēt, cognitio summa insit, ut in uniuersa religione
ad res magnas & præclaras tractandas, sit neq; grauior,
neq; prudētiōr, neq; exercitior q̄squam. Qua re quom
toti orbi consultū esse uideamus, eruditis tamē imprimis,
qui te (cumeruditissimus & sis & habearis) unicū nostra
tempestate Mecenamem & refugium habent. At nobis &
nostro immo tuo Viennensi gymnasio, eo ampli⁹ prospe
ctum puto, q̄ (nescio an recte an perperam) in tuis laudi
bus, honoribus tuis partem nos habere putemus. Liber
enī iam palam & audenter referre, quod domi & inter nos
sæpe cōmentamur, cū nihil adeo intempestiue dicat, qui
tu pro animi tui mansuetudine susq; deq; feras. Memo
ria repetimus Reuerēdissime antistes nō sine maxima ani
morū iucūditate, superiora tēpora, quibus tu in hoc gym
nasio & omniū studiorū nobilissimo emporio cū summa
ingenii tui admiratione, literis operā nauasti, is quidē mo
ribus, ea modestia & sedulitate ut ego a maioribus natu (q̄
iuuenum exploratores esse solent) non semel audiui, relu
xisse tum in te, indolem & manifestissima quædā futuræ
inter mortales excellentiæ signa, ac eam famā p̄ primores
gymnasii omnes isse, cū certissima futuri euentus (qui &
felicissime secutus est) expectatione, & interiecto deinde
tempore, tu ab hac urbe Vienna, ex hoc tuo studio, ueluti
ab auspiciatissimo rerū tuarū & futuræ fortunæ exordio,
ad inuictissimū imperatorem abiisti, p̄ multos dignitatū

gradus, ad cardineū hoc splendidissimū culmen euectus, quo nos, quo se omnis nostra posteritas iactabit. Sed finē facturus pientissime princeps, Rectorem nostrū magnificum, Doctores, Theologos, Iureconsultos, medicos, Oratores, Poetas, Philosophos, et totā illam literariā cateruā meq; homuncionē tuæ illustrissime dñationi commendo, & qua possum pectoris sinceritate istorū omniū nomine supplex oro, quemadmodum antea nos summo favore & gratia sis prosequutus (ut tibi soli post diuū MAXIMILIANVM acceptum referamus, quicqđ literarū, incrementi qđquid gymnasio nostro accesserit) eo animo erga nos, pro tua in omnes literatos mansuetudine, & nostra in te obseruantia, perstare uelis, quo, tua ope, patrociniq; tuo freti, studia nostra, ad Christiane religionis sustentamentū (cuius tu amplificator & præcipuus & diligentissimus semper extitisti) instituta, ex sententiā nostra psequamur. Tibiq; optime de nobis merito, id preciū, quo neq; maius neq; melius habemus, aliquando persoluamus, ut nomen immortale quod iam dudum uirtute tua merueris, (sine literis tamen sicuti & aliorū heroum nequaquā durabile) nostrorū hominū labore, apud omnē posteritatē cum summa tuarum laudum amplificatione sis habiturus .

DIXI .

Dicta oratio sexto Kal Martii. 1515. Vniuersitatis rector Ioanne Trapp Theologiæ lectore ordinario & doctore excellentissio. Impresa uero p Hieronymum Victorē quam accuratissime . 6

gradus ad curiam hoc ipse...
 duo nos quo de curia...
 factus...
 cum...
 totus...
 in...
 &...
 supplex...
 gratia...
 LAIWM...
 ment...
 nos...
 re...
 tuo...
 ment...
 nus...
 mur...
 tatus...
 nomen...
 (sicut...
 le)...
 luma...

DIXI

Discretio...
 is...
 diano...
 Fac...







